



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit Lex sive præceptum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

legii est, qua in scrupulo, ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ut non possit recte rem examinare. Unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuae, procurare integritatem confessionis, cum ab ea minores sæpè difficultates excusent, ut notat *König Lay. Bon. Azor. Bee.* IX. Confessarius non permittat confiteri, vel proponere scrupulos, vel dubia, (maximè, si semel ad satisfactionem audiverit) quia alioqui nunquam fontem scrupulorum exhaustet, *vid. apud Lay. hic. c. 6. Filliuc. hic & l. 2. de matr. d. 4. Azor. t. I. l. 2. cap. 20. Bresserum l. 6. toto. Bee. pag. 2. tom. I. cap. 4. Bonac. d. 1. q. 4. p. 9.*

TRACTATUS SECUNDUS,

*De regula externa actuum humano-
rum, scilicet Lege.*

CAPUT I.

De natura & obligatione Legis in genere.

DUBIUM I.

Quid sit Lex, sive Præceptum?

Respondeo. Lex, & Præceptum, prout hic indistinctè accipitur, est recta agendorum, aut omittendorum ratio. Interim, cum à superiori non communiciati, sed alicui tantum, aut aliquibus in particulari aliquid præcipitur

tur, non appellatur Lex, sed Præceptum tantum,
Suar Lay. Bon. d. 1. q. 1. p. 1. Unde resolve.

I. Ad Legem, seu Præceptum quis tenetur; non ad Consilium: cum hoc tantum dirigat, illud etiam obliget, *ibid.*

II. Cūm iniqua lex est, & contra rationem, non obligat, quia deficit à rectitudine, *ibid.*

III. Cūm dubium est de justitia, teneris lege; quia legislator possidet jus præcipiendi; idemq; regitur altiore consilio; ac potest habere rationes subditis occultas. Addit *Suarez.* etiam obligare, licet contra justitiam legis sint rationes probabiles: quia alias nimia da; etur licentia legibus non parendi, cūm vix possint esse tam justæ, quin aliqua apparenſis ratio dubitationem movere posſit. *Suar. l. 1. c. 9. Bonac. p. 8. n. 11.*

IV. Leges & sententiae latæ à tyrannis, obligant, si iij pacificè regna possideant, & à Republica tolerentur. Nec obstat, quod sententia judicis illegitimi dicatur esse nulla: id enim verum est de sententia, prout est præcisè à tyranno; non autem, prout est à voluntate, saltem interpretativa & implicita Reipublicæ, quæ dum tyrrnum, & judices ab eo constitutos repellere nequit, tacite consert iis potestatem gubernandi, eorumq; leges & acta ratificat, *Leff. l. 2. c. 29. d. 9. Salas. d. 10. f. 3. n. 14.*

V. Non tenetur quis ad legem, nisi promulgata sit, sive denunciata. *D. Tho. p. 2. q. 90. Lay. lib. I. t. 4. c. 3. Molina, Salas, Suarez, &c. alii communiter.*

DU-